

**Abstinens confolentanea, cui obiter annexa est pro Jouberto apologia / [François Citois].**

**Contributors**

Citois, François, 1572-1652  
Joubert, Laurent, 1529-1583  
Sloane, Hans, Sir, 1660-1753  
British Library  
Medical Society of London

**Publication/Creation**

Montpellier : J. Chouët, 1602.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/jn5jnmag>


**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



ITESIUS  
DE ABSTIN  
CONFOL  
1602

FORSTIUS  
DE  
NOCTAM  
1593








MEDICAL SOCIETY  
OF LONDON



ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

CITOIS, F.



65195/A

XVIII 5

*Dupuy*  
*1.950*  
ABSTINENS  
CONFOLENTANEA,

*Cui obiter annexa est pro  
Iouberto Apologia.*

Per FRANC. CITESIVM Picta.  
Academiae D. Medicum.



Montispeissuli,  
Apud Iacobum Chouët.

M. D C I I.

БИБЛІОТЕКА


АДИАТИЛОФІО

ОУДІВІСТВО ВІДОВОГО

*EX AVULEI METAM.*

*Lib. 1.*

**M**inus hercule calles, prauissimis opinionibus ea putari mendacia, quæ vel auditu noua, vel visu rudia, vel certè supra captum cogitationis ardua videtur; Quæ si paulo accuratiùs exploraris, non modò compertu euidentia, verùm etiam factu facilia senties.





CLARISS. VIRO M. VIDARD  
in Præsidali Pictonum Curia  
Cognitori Regio

F. C I T O R S . S.

**V** E L L A M triennali iam inedia celebrem , quam in tuo comitatu videre mihi licuit , Vir Clarissime , h̄ic exhibeo , nno arte , aut dæmonis astu , vel impulsu (ne quisquam lamiam incuset , aut strigem ) sed natura progradientem . Certè is ego non sum , qui naturæ legibus , quæ supra naturam sunt , censere velim . Sed neque naturali ratione constantia illico ad *θεῖον τὸν* tutissimum inscitiæ asylum , referte possum . Non enim his carceribus premenda puto hominum ingenia , ut ad singulos Lunæ defectus , vt illi sub Perseo Macedones , inhorrescant : sed sapientiæ arcem adeundam interdum illis cum diuino vate iudico per ancillas , id est naturales scientias , quæ summi Opificis maiestatē & mirā prouidentiā apertiūs testātur , quā attonitus quiuis ignauorum

*Proph. 9.*

hominum stupor. Quod igitur veteres fecisse video, ut summa ope niterentur, nee quid profuturum seculis diu lateret, historiam recentem adhuc & præsentem, quæ tot rerum per vnam gulam quotidie transeuntium luxuriam, terræ marisque vastatricem palam damnat, in lucem sub tuo patrocinio emitto, Vir integer rime, vt qui eius es testis oculatus, retrum memoria dignam occultam esse non patiaris: Sed vt inter iudicem caussidicūque medius, veras litium caussas, facundo ore, fœcundoque pectore, ipse omnis affectus expers, quotidie depromis, & ipsissimam veritatem nudam, & sineculo verborum lenocinio coram exhibes: sic tu mihi erga æquiorem lectorem proxeneta, hanc ei historiam (siquidem supra vulgum sapere videatur) palam fieri & apertam esse tua insuper autoritate iubeas. Vale. Pictauis. Calend. Febr. cīo. 10 cīi.

Absti

SECRETA  
SECRETA  
SECRETA  
SECRETA

Abstinentem hanc vidit anno superiore, alterum iam annum sine alimento trahentem, D. N. Rapinus non Irenarchico munere solum, sed varia etiam eruditione illustris, ut testatur hoc elegantissimum de ea carmen.

De puella duodecenni, quæ iam bienium perstat sine cibo & potu vivere ad Confluentem Vigennæ  
an. sal. M. VI. C.I.



Vam varia exercent hominū miraculamente,  
Quorum constitui non ratio vla-  
la poneat.

Ecce valēs & adulta duos iam virgo per annos  
Vitam agitat, nullo freta vel usq; cibo.

Observata magistratu, & vicinia ab omni,  
Qua fluit exiguo iuncta Vigenna Goro.

Iam ieuna famem tolerat sine fraude biēnem,  
Et iam preclusis faucibus arcta gula est.

Mireris nullum suspenso à pectore ventrem:  
Mireris nullas inde, vel inde vices.

Et nihil excernit, stricta ut nil excipit aluo,  
Puraque ab utrauis parte pudenda latent.

Illa tamē sētit, loquitur, videt, ambulat, audit:  
Quod nos intentis vidimus ipsi oculis.  
Aut magico fallax in corpore spiritus errat:  
Aut pasta exili lampade flamma subest:  
Aut docet ostento, natura potentior, isto,  
Maiorem humanis legibus esse Deum.

N. R A P I N V S P..

RESP.

**N**ec nostra fallax in virgine spiritus errat,  
Carmine nec magico fascinat ille oculos.  
Nec, veluti inciderit nūc dign⁹ vindice nodus,  
Quas posuit leges transilii ipse Deus.  
Sed quod versiculo tua, magne vir, annuit uno  
Musa, alia exili lampade flamma subest.

F. C I T.

Siquando

I quando lenibus fama pinnulis vehens,  
Nullis puellam vicitare ferculis,  
Suis artis, atque tristis exortem famis  
Narravit, omnes commodum pallescere,  
Omenque lauum deprecari prodigi,  
Unus veniret confidenii pectore  
Hygiua iussit Pallas: Ille protinus  
Sibi optiones filias sumens Iouis,  
Gnauis remouit alta mundi moenia,  
Aviaque Natura peneirauit loca,  
Hic unde rerum semina, unde profluant  
Marisque fontes, fluminumque limpida,  
Aniaeque venium prepetes, quibus modis  
Hyemesque, solsticiaque dispernat Deus:  
Qui causa frugum succulentis germinet  
Mandata glebis, quo ne sustentans cibo  
Inolescat animal, siue sensibus cluit  
Auctum, negatis siue sensibus caret,  
Hic vidit usquam quiequid est: Quod ut graui  
Panore menuis solueret, doctissimis  
Citoens insit explicare schedis,  
Quae quisquis olim legerit, caelestium  
Opera videri scripta confuebitur.

M. VIDARD Procu-  
rator Regius.

**P**Ellegis hoc scriptū: suffundere lurco rubore  
Ni subis infensi pallidus ora Dei:  
Ah tum te miserum index cum venerit illi  
Vinere neglectis quām potes usque cibis.

I. MOREAV Off.

*Hic liber humani dūm tollit corporis escam  
Ingenio dulcem quis neget esse cibum?*

PASCH. LE COQ. M.D.

**F**Oelix hoc praecone tuæ, virguncula, vita.  
Fam non te siccus succus, ut antè, fonet:  
Ipse sed æternam vitam dat & accipit auctor  
Incertum tu illi, an debeat ille ibi.

A. CITOYS frater  
in Curia Patronus.

**T**V quoq; Teutonicæ nihil ô cessura puellæ  
En acuis magnos Galla puella sophos.  
Fallor, an ista viris nuptisque exēpla negātur,  
Crescat ut intactæ Virginitatis honos?  
An magis ætheria sunt hæc primordia vite?  
Irritus & caussas poscit ab arte labor?  
Iamque noui veniunt soles, noua secula: quādo  
Nec tua dona Ceres, nec tua Liber erunt.

I A C. L E C T I V S.

**S**It natura hominum paucis contenta, sa-  
mēmque  
Esca lenet tenuis, parvaque pocula suim:  
Nō tamē his prorsus valet illa carere, nec ulli  
Leiuno semper corpore vita manet.  
Vnde puella igitur tam longo tempore vitam  
Nullis fuliacibis, & sine fraude trahit  
Contendant Physici. Causam potes alme Pa-  
lamon  
Naturaque opifex reddere, nemo potest.

IOANNES IACOMOTVS  
Barrensis.

DE ABSTINENTE CON-  
folentana à Francisco Citeso  
Pictoni Medico de-  
scripta.

**A**bsque cibo viuis potûque, BALAMA,  
palâmque  
Haud hominem solo viuere pane probas.  
Hinc volitas hominum famâ victura per ora:  
Famâ, quæ vitâ sit magè longa breui.  
Numinis illud habes vix cuiquâ munere note:  
Hoc Citesi donat Musa disseria tibi:  
Absque cibo quite viuam dum tradit, egentem:  
Consequitur vitam nullius ipse cibi.

ANTO. FAYVS.

---

**D**'vn miracle tu fais naistre vn riche di-  
scours,  
Traictant si sans mäger ont töbe en atrophie,  
Si vn corps par trois ans a peu viure sâs vie,  
Puisque les alimens sont l'ame de nos iours.  
Jamais Phœbus ne vit rien semblable en sonni  
cours,  
N'Æsculape son fils: car si c'est maladie,  
Le defaut d'alimens eut son amerauie:  
Mais sans boire & manger celui-ci vitt  
tousiours.

Virce

Viure ainsi n'est-ce pas un prodige bien rare?  
Ce viure dementant la Nature, & ses lois,  
Qui veulent qu'à momens nostre corps se  
repare.

Mais un effect plus beau fait ton liure (Citoys)  
Repaissâu nos espris d'un si precieux viure,  
Qu'il fournir d'alimens, pour en mouranc  
renuire.

M. VIDARD Procu-  
teur du Roy.

---

**R**Ougi ventre gloutō à l'abord de ce liure,  
Si tu ne veux pallir au iugement de Dieu,  
Que feras-tu, chetif, en ce terrible lieu,  
Puisqu'o peut ici bas lög tēps viure sas viure?

I. MOREAU Off.

### LE M E S M E.

**I**E croyois en la foy d'un erreur populaire,  
Que de ce corps mortel le foible bastiment,  
Priné du fort soustien d'un solide aliment,  
Caduc, en peu de temps viendroit à se deffaire.  
Mais le nouueau labeur de tes doctes escrivis,  
Plein de l'air animé d'une belle parole,  
Qui preuve le contraire, & m'enuoye à l'escole,  
Du choc de ses raisons estonne mes esprits.  
Puis le naïf rapport d'une recente histoire,

C'ōfit au doux nectar de ton mielleux discours,  
Puissant de me nourrir, sans manger, plusieurs  
tours,  
Renuersant ma creance, establist ta victoire.

---

**V**Ne humeur dans ce corps estroitement  
enclose  
Depuis un si long temps ceste fille entretient,  
Vne meilleure vie en ce liure luy vient:  
Car ce liure & la vie est vne mesme chose.

A. CITOYS.





# ABSTINENS CON- FOLENTANEA,

*Cui obiter annexa est pro  
Iouberto Apologia.*

PTABAT Euripides, vt aut muti perpetuum foueremus si- lentiū, aut Res ipse omni ambi guo sermone remoto nobis col loquerentur. Præoptaré ego, vt aut de Astomorum gente sine ore effemus, aut solo, vt illi, aëre cōtenti cibo & potu in perpetuum carere possemus. Sic enim for ret, vt animus noster, qui ad rerum natu ralium caussas, non aliter quam noctuæ oculus ad Solis radios cœcutit, sublata illa crassorum è cibis vaporum caligine, nudas idæas & formas vnico obtutu complecte- Aërsic retur. Non esset Chrysippo tam anxiè més elleboro purganda, vt argumentorum suo rum vim acriùs peruideret: Non esset sæpe nobis anima contra naturam oneri: non esset illa pro sale, sed pro solo diuinæ nostræ nauigationis pharo, qui è solo ad cœ lum viam faceret. Sed quoniam vita no-

*cior, ani ma prudior.  
Heracl.*

stra nutritione constat, atque alterum altero continetur, dum assidua alimentorum cura vitam sustinere meditamus, animos nostros ad magna alioqui surgentes humili defigimus: Pluribus tamen intestinorum anfractibus hominem donatum Plato censet, quod eum autor vniuersi constituerit animal plenum rationis & consilij, cuius usu careret, si, ut plantæ radicibus, ita ore cibo semper adhaereret, aut, ut belluae, pastui undique conquirendo perpetuo esset addictus. Quinimo dum alimentum ventris mæandros & gyros pererrat, suam vim vegetantem & altricem naturæ mens sublimior demandat, interea suis freta facultatibus

**6. Aen.**

----Totos infusa per artus

Ipsa agitat molē & magno se corpore miscet: pleniū vires suas explicatura, si alimento confecto ad nouum suggestendum animus ipse non esset conuertendus, & ventris imperio subijciendus. Nihil enim magis negotij homini exhibit atque alius, inquit

**Lib. 26.  
cap. 8.**

Plinius, cuius caussa maior pars mortaliū viuit. Pessimum corporum vas instat, ut creditor, & s̄epius die appellat: ideoque non ferendum esse iuuenem sta-

**Cod. In-  
st. de a-  
lim. pup.  
præst.**

tuit Imperator, qui cum præsens esset, atque à tutore alitus esset, si alimenta per aliū se consecutum non probet, sumptus recu-

recuset, quasi vento vixerit. Nam & ipsi Stoici, qui alioqui sensus omnes tollunt, hac saltem ventris expostulatione afficiuntur, comeduntque, sed ut ne comedant, contra quam nebulones, qui bibunt & edunt, uti bibant & edant, quorum Deus venter est, cui quidem luxuria omnis conditur, cui nauigatur ad Phasin, profundiique vada exquiruntur: Qua parte demum propius ad belluas natura pronas, atque ventri obedientes accedimus, quibuscum nobis etiam communis est cibi & potus necessitas. Etenim omnibus animantibus à natura insitum viuendi instrumentum est Calor nativus, qui ut ignis noster in ligno, sic ille in triplici corporis substantia solida, humorali, & spirituosa sedem habet, quam assiduè depopulatur & absimit, breui perituram, nisi nouo identidem esculentorum & potulentorum appulso reficeretur, non aliter atque ellychnij flamma, consumpto oleo, statim extinguitur, nisi nouo pabulo iniecto commodè refocilletur. Ideo medicinæ princeps Hippocrates *Lib. i.* pluri alimento puberum corpora indigere *aph. 14.* scripsit, quia plurimum huius caloris obtinet. Alioquin, inquit, consumitur eorum corpus. Contrà senū corpora, quia paucis calore praedita sunt, paucis egent succendiculis. Ex quibus veluti cōsequens est, quod

Aph. 13. ibi præmissum à nostro vate : iejunium senes facillimè ferre, secundum eos, qui constantem etatem agunt , minùs adolescentes , minimè omnium pueros , atque inter eos maximè qui functionibus obeundis alactiores sunt. Nam & caloris paucitas, & humoris primigenij tenacitas , & corporis densitas triplicis illius substantiaz effluvium in senibus prohibet , vnde minor cibi penuria, & ex eius sensu, appetetia , quæ fames est , in ijs est languidior: quemadmodum in iunioribus è ardenter est, quò nativus calor est vberior , humor vitalis fluxilior , & corporis habitus rarius: quæ tria, vt pabuli consumptionem promouent, sic & reparationem insinuant. Quoniam enim per cutis poros vniuersu- iusque animalis substantia in ambientem

Primo de aëra dissoluitur , inquit Gal. eas primùm sympt. caus. 6. 7. partes, quæ cuti viciniores sunt, exinaniri necesse est, quarum ingenita vis ex alijs sibi proximis alimentum, vt quod vacuatio ne deperijt, resarciat , prolicit: illæ è venis, tanquam horreo: hæ ex iecore, veluti area: iecur ex intestinis & ventriculo , veluti agris, per venas mesaraicas , veluti per manus, quod sibi familiare est, naturæque suæ conueniens arcessit. Ventriculus exhaustus sibi insito penuriæ sensu ad appetendum cibum, quo sese reficiat, incitatur.

At vero

At verò si quod corpus est, cui calor exiguus sit, cui primigenius humor tenacior, cui spiracula cutis conniveant, triplicis illius substantiæ minima fit vacuatio, ideoque refectioni locus parcissimus. Quin ne  
de vene  
sect. adn.  
Eras.  
yllus quidem, teste nostro Gal. vbi præterea ambiens nos aer frigidus est, vbi corpus segne & torpidum sine motu degit, quia cutis foraminula obstruuntur, ab ijsque nihil aut minimum effluit. Quod manifestum facit exemplo ferarum sua lustra per totam hyemem nunquam deserentiū (φωλεύοντα ζώα vocat) qualia sunt vrsi, glieres, serpentes, lacerti, & pleraq; alia, quæ appetere vere, laxatis corporis præ calore meatibus, cù resolui & deficere sese percipiūt, è suis latebris in auras suopte impetu ferūtur, & ad cibos vndiquaq; cōquirēdos à natura impellūtur. Vnde colligit assiduā per habitum difflationē defectum creare, hunc ciborū indigentia, quę appetentiam. Natura enim comparatum est, vt quod inanitum est, sui repletionē postulet. Quod si caussa cesseret, ob quam corpora cibis indigebant, effluuium puta, necessum omnino est, vt & indigētia ipsa, & eius sensus, qui famēs est, vnā cesseret, atque ea propter animalia latebras incolentia sine cibis degere possint. Sic lucernas ardentes grauissimorum virorum fide constat in veterum

*In lib. 21. sepulchrorum cippis reperiri, quas ipsa in-  
t. 6. Aug. scriptio ante innumeros annos ibi condi-  
tas testatur, ut quam celebrat Ludouicuss  
Dei.*

*Viues ante 1500. annos, quam Hermolauss*

*In libr. 5. Barbarus in agro Patauino repertam me-  
die. cap. morat, sine die quidem & Consule, sed ut  
II. ex elogio colligit P. Appianus ante an. 800..*

*Eæ tamen exiguo somite quam diutissimæ  
sustinentur, quia humoris, qui olei vicem  
præbet, tenacissimus est, & bene vndique  
sibi constans, siue is sit humidum illud  
(quod Chymici radicale vocant) ex auro,  
cui vni rerum nihil deperire creditur, tra-  
ctum, siue quid ei proximum, ut denotare  
videtur elogium in vrna fistili exaratum,  
quod ex-scripsit Barbarus in hæc verba.*

*Plutoni sacrum munus ne attingite fures,*

*Ignotum est vobis, hoc quod in orbe latet.*

*Namque elemēta graui clausit digesta labore,*

*Vase sub hoc modico maximus Olybius.*

*Adhuc fœcundo custos sibi copia cornu,*

*Ne pretium tantis depereat laticis.*

*Et sequens alteri vrnulae intra superiorema  
conditæ inscriptum*

*ABITE. HINC. PESSVMI. FVRES.*

*VOS. QVID. VOLTIS. CVM. VO-  
STRIS. oculis. emissitiis.*

*ABITE. HINC. VOSTRO. CVM.*

*MERCVRIO. Petasato. Cadu-  
ceo quoque.*

M A X V M V S. M A X V M V M. D O -  
N V M. *Plotoni. hoc. sacrum. facit.*

In qua quidem vrnula ardens adhuc illa  
lucerna obseruata est, inter duas ampullas  
sita , alteram ex auro, alteram ex argento,  
purissimo illo liquore plenas, cuius incen-  
dio lucerna illa per tot annos arsisse cre-  
dita est. Idem Barbarus cœlestem aquam  
vocat, siue potius diuinam Chymistarum,  
quā à Democrito & Mercurio Trismegisto  
modò Θεῖον ὕδωρ, modò Scythicum lati-  
cem, modò pneuma appellatam notat, hoc  
est spiritum ex æteris natura & essentia re-  
rum quinta, vnde aurum poculentum, &  
iaætatus ille , necdum inuentus , inquit,  
Philosophorum lapis & fabulum constet.  
Ad hunc somitem nescio an referre debea  
perpetuā lucernæ cuiusdāflammam, cuius  
meminit Cedrenus, quam quidē imperāte  
Iustiniano, Edessæ cum Christi imagine re- *Hist. com-*  
pertā refert. Ea statim à Christo passo supra *pend.*  
portam quandā fuerat abdita, & 500. tamē  
annorū decursu nō erat extincta: immo ex  
ea oleum in ignem proximum iniectum,  
Chosrois Persarum regis copias, Christia-  
no nomini infensas , ad vnam omnes con-  
sumpsit. Quicquid sit, allatis supra rationi-  
bus adducor , vt minus mouear exemplo,  
quod in ora nostra Pictonica, à tribus fere  
annis, est in omnium oculis, puellæ Con-

folentaneæ, quæ ab eo tempore vitam etiamnum sine alimento trahere pergit.

Puella est nata quatuordecim annos; aut circiter, Iohanna Balam nomine, patre: Iohanne Balam fabro ferrario, matre Laurentia Chambella, statura pro ætate iusta, moribus subrusticis, Confolento vrbe in Lemouicum & Pictonum confinio ad Vigenam oriunda, quæ cum yndecimo suæ ætatis anno febre continua, circa 13. Cal. Mart. anni 1599. esset correpta, tūm grauis- simis alijs symptomatis, tūm assiduo imprimis vomitu per 20. dies conflictata est. Febre quoquo modo remittēte, obmutuit, & totos 24. dies sine voce deinceps hæsit. Reddita postea voce, quanquam delirij plena, omnium infra caput partium motus & sensus torpere & hebescere cœpit, adeo ut ipse quoque œsophagus (cibi potusque in ventriculum via) resolutus, vim suam cathelicam amiserit, neq; hactenus persuaderi puella potuerit, ut cibum sumere velit, ne quidem pellecta familiaribus huic ætati condimentorum & fructuum fugacium illecebris: Restitutus tamen & confirmatus est artuum motus post sex ferè menses, præterquam altera coxendice, à qua adhuc subdifficilis est incessus. Sola deglutiendi impotentia remansit, vnde & summum omnium esculentorum & potu-

lentorum

## CONFOLENTANEÆ.

9

lentorum odium puella concepit. Interim ei, res mita, vniuersum abdomen sensim emarcescere & tabescere adeò visum est, ut ab imis costis ad pubem vsque nihil pri-stini aqualiculi superfuerit. Sola ibi nunc à sterno pendula mucronata cartilago, non alitet quam suggrunda, quæ extra per-pendiculum stillicidia ejicit, supra anti-quam ventris regionem extat, à qua & no-tharum costarum appendicibus superna cutis non mediocrem tensionis & diuulsi-onis sensum patitur, ex ipso etiam puellæ conquestu. Inde omnes musculos, intestina, viscera, & reliquas ventris partes atro-phia consumptas & contractas patet, ut detractas putas. Saltem solæ illarum fibræ & stamina restant, carnosa omnis, quæ spa-tia earum infarcit, substantia periit. Cæte-ræ corporis partes multo minus exhaustæ apparent. Nam & pectus amplum, & vbe-ra turgidula, brachia & crura modicè tor-so, facies rotundula, sed fusca, labia ru-bella, lingua quidem contractior, expedi-tus tamen sermo, caput pilis longissimis coniectum. Crescunt enim illi & pili & vngues, immo totum ipsum corpus. Nullæ sui parte excrementa procedunt, non al-uo fæces, non vesica lotium, non vtero menstruum. Non est sua forde caput obsi-tum, quod ut in externa cute, sic in ipsis

sensuum organis suam integritatem testatur, neque (præter tenuem sputationem & nonnullas lacrymas) ullum aut auribuss cerumen, aut naribus mucus, aut habitu sudor erumpit: Quinimo vniuersa ferè corporis cutis frigida & sicca tangentibuss apparet, vixque ullo motu incalescit (si alias & cordi vicinas partes exceperis) etiamsi in rem familiarem operam omnem conferat, obsonium è foro petat, pauimenti sordes euerrat, colum teneat, fusum rotet, stamina pollice ducat, atque in alijs huiusmodi ministerijs tota sit, nec ullæ sensus aut motus partes desint.

*lib. I. aph.  
15.*

Ex quibus exempli raritas multis modis dilucet. Nam ea ætate casus hic accidit, qua crescebat corpus. At quæ crescunt, plurimo egent alimento: præterea isto habitu gracili & frigido, ubi interiora calidiora esse solent. Hinc ventres hyeme calidiores pronunciauit noster Senex, unde concoctio expeditior & fames intolerabilior: per exercitia præsertim, quoram nullis suæ ætati & sexui cōuenientibus parcit: cœlo insuper & solo multum voraci. Quæ omnes appetendi occasionses febris illius continuæ superuentu deiecta sunt, & naturales omnes functiones tandem etiam paralyseos accessu sopita atque intercepta.

Atque ut à prima & præcipua exordia, ventri-

ventriculus ipse qui alioqui cibi promptuarium est & primæ coctionis officina, crudorum humorū illuie dissolutus elanguit adeò, ut neque suos cibos retinere, neque alios admittere potuerit.

*Vncta cadunt laxis nā pulmentaria labris. Pers.*

Sic apud Hippocr. Hermocrates ardentissima febre correptus cibum semper omnem respuebat, ob ipsius facultatis extinctionem, inquit ibi Gal. cuius erant in secunda valetudine munera, indigétiam sentire, & quæ sunt sibi familiaria appetere. Huius symptomatis causam plèriique reijcere malunt in pomi, ab anu quadam duos aut tres ante menses porrecti, vim maleficam, quod, eo deuorato, nauseas aliquot & animi fastidia passa sit. Sed cum præterea nihil superuenerit, quod eius sanitatem & functiones naturales apertè læserit, donec descripta febre correpta est, non video quomodo vis illa tandiu sopita fuisse credatur. Vomitū sedato, obmutuit, propter resolutionem neruorum recurrētium (quam & totius postea corporis resolutio exceptit) frigidore & cruda pituita calore febrili, eoque etiam delirium in cerebro excitante, liquata, & in hos neruos translata: vnde suctionis sensum, immo ipsam deglutitionis vim amitti oportuit. Quæ vnicā est appetentiæ animalis abolitæ caus-

sa : Quam nec longè subsecuta est, ipsius  
 naturalis appetentiæ priuatio, quam notaat  
 Hip. his verbis γενέσαι διὰ τὸ οὐρατόν, si quicq;  
 grauissimo eius interpreti Gal. credendum  
 est, qui symptomatis huius caussam reiicit  
 in vitium hepatis, quod cum vegetantiss  
 & naturalis animæ principiū sit, eo læsco  
 & auxiliarias eius facultates, attractricem,,  
 inquam, retentricem, assimilatricem, & ex-  
 pultricem, in quibus nutritionis vis tota  
 versatur, concidere necesse est, & ideo ip-  
 sum appetitum, qui non nisi attractione:  
 perficitur. Iecoris autem affectum in Her-  
 mocrate colligit ex eo Gal. quod cùm die  
 morbi sexto auriginosus apparuisset, nec  
 tamen ei, vt Heraclidæ (cui idem eodem  
 die symptoma superuenerat) per totum  
 morbi decursum, qui fuit dierum 27. iæte-  
 rus aut sudore, aut bilis excretione, seu  
 per aluum, seu per vrinas, aut vomitum  
 sublatus fuisset, naturalem facultatem, cu-  
 ius hepat est fons, mitum in modum con-  
 cidisse facile appareret. Qua affecta omnis  
 appetitus vis adeo prosternitur, inquit  
 Gal. vt mori, quam quicquam vel summis  
 labris attingere præoptent ægri.

i. epid.  
sect. 3.

i. de loc.  
iff. c. 1.

In nostra puella nec arte curata, nec na-  
 tura leuata, iecur vitiosorum humorum  
 sarcina adeò obsessum est, vt naturali eius  
 calore admodum fracto, cum omnibus i-  
 emi

mi ventris partibus exaruerit & contabuerit, ut minimè mirum cuiquam videri debet, si naturalis œconomiæ munia compareant abolita. Huius igitur apositiæ, & quæ ex hac secuta est, *œcclias*, altera causa est ista hepatis, omniumque nutritioni inferuentium partium tabes, vnde attractione abolita perijt suctus, à quo & famæ.

Cuius sententiæ Gal. ad stipulatorem habeo, qui propter hepatis imbecillitatem non nutriti corpus asserit, nihilominus diu subsistere posse contendit, quandiu sc. cor manserit illæsum. Perijt tamé Hermoc. intra 27. dies, quia humorū corruptela cordis substantiā altius perueraserat, quam & caloris febrilis infensa qualitas depulso natuō exhauserat. Puella nostra seruata est, quia calore febrili extincto, natuus relictus imbecillus cohibitus est intra corpus adstrictum, cui strigosa cutis frigida & sicca obtensa est: Hic cum minimum resoluatur, minimum etiam foueri necesse est, quæ tertia est huius inappetentiæ causa.

Nam quicquid id est, quod exhalat, vt spiritus & calor innatus, reparatur & fuetur aëre primùm tam inspiratione ducto, & per pulmonis tubulos in cor admisso, quam quantulacumque illa transpiratione ( quam fermè totam suppressam ex habitu iudico ) in vniuersum corpus per

§. de loc.  
aff. cap. I.

arterias recepto: Dein humore crudo & pituitoso recreatur natura illa fatiscens, qui quidem in corpore hoc puellari non potest non per ætatis & sexus conditionem vberius iampridem succreuisse, & etiamnum parum absumpsus abundare, ut ex paralysi non satis confirmata dilucidò liquet. Hic autem temporis progressu coquitur, sitque idoneum corpori alendo nu-

*2. fac. na.* trimentum. Nec defunt pleraque alia quæ *com. 2. de* suos habent in corpore nostro penus, indecra. *vicin.* depromeda, cum inediæ natura impatiēs, *acu.*

alimentorum vicem ea supplere iubebit, ut adeps, medulla, pituita: quæ singulæ corporis partes exhaustæ, è suis sedibus, tanquam è feraci promo & condo, attrahunt, & velut alterum rorem in vniuersam suam substantiam fusa concipiunt. Sicciant cochleas cum sitiunt aëris, atque nihil illis de cælo illiquitur, proprio succovictitare, vnde Plautus.

*Captinis.* *Quasi, cum caletur, cochlea in occulto latet;*  
*Suo sibi succo viuunt, ros si non cadit.*

*Arist.* Sic terrestres cochleæ aduersus hybernū *hist. an. 1.* frigoris iniuriam albo quodam operculo, *8. c. 13.* duro, gypsi speciem referente, suæ testae *Plin. hist.* obtenso munitæ, solo interno redundantiis *na. c. 39.* humoris somite sustinentur, per integrum semestre, sub terra, circa fruticū radices conditæ: ut & omnia ferme animalia *1. 8.* hyemant.

hyemis asperitatem varijs latibulis lenire solita, qualia angues, ranæ, muscæ, erucæ, glires, mures montani, turtures, hirundines, &c.

Nam serpentes omnes frigoris impatientes hyeme abditi in terra latent, auctore Aristotele, à quo tametsi serpentium historiam hauserit Plinius, eius tamen mentem perperam detorsit in contrarium sensum, cum serpentium viperam solam terra condi dixit: cæteras arborum aut saxonum cauis. Contra namque viperam fermè solam per ipsam hyemem saxis, cæteras terra condi verè scripsit Arist. quo tempore illis pro cibo somnus est.

Quin & annua fame durat viperæ, hyemis etiā algore dempto, inquit Plin. quod nos scimus, qui hīc eas frequentes habemus, & phialis vitreis sine cibo inclusas annum integrum & amplius afferuamus. Non possumus interea hīc vnum & alterum Plinij lapsum super earum coitu disimulare, qui viperæ matem scribat caput inserere in os, quod illa abrodat voluptatis dulcedine. Nam qui eas sæpe in coitu deprehendunt nostri venatores, cum vix etiam vehementiori conatu à se inuicem disiungere possent, nobisque rem aperiissent, obseruauimus ijs recens inde diuulsis exertum mari longius pudendum,

cum protuberante & aliquot aculeis aspera glande, quam venere turgentem fœminæ vulua tam arctè complectebatur. Ei erant substricti sui testes, contra summi Naturæ genij sententiam, qui neque serpentes, neque animalium ullum pedibus

*4. dep.* carentium testes habere scribit: Addit *an. c. 13.* mē alibi [nisi intra se formare animal pos-  
*3. hist. c. 1.* sit] qua clausula excipi videtur viperæ,  
*5. hist. c.* quam solam dixerat intra vterum catulos excludere, quanquam nisi ea esset mens Arist. excludere non dicerem (neque enim ex ovo, quod nullum est) sed formare. Fœtus enim est sua membrana, ut in *lib. 10. c.* cæteris viuiparis, inclusus. Neque vero *62. hist.* etiam, ut idem autor putat, singulos catu-*natura.* los diebus singulis parit viperæ viginti scilicet numero: sed uno eodemque die catulos plerumque undecim, interdum plures, interdum pauciores parit.

Neque tandem cæteræ tarditatis im-  
patientes perrumpunt latera, occisa pa-  
rente, quam saluat intra phialas illas enatis viperillis saepe notauimus. Sed de-  
*hist. an.* ceptus est Plinius his Aristotelis verbis,  
*lib. 5. cap.* τίνει δὲ μυρτά εχίδνα καὶ ύμέσου, οἱ τείχη πόνου ται τείλασι. Κριοτε ἡ καὶ σωθεν διαφαγόνται αὐτὰ εξέρχεται. Id est. Parit paruas viperulas membranis obuolutas, quæ tertia die rumpuntur. Euenit interdum, ut qui in vtero sunt,

funt, abrosis mébranis prorumpant. Autem retulit ad Ἑστωθέν (ut interiora matris erosa audiret) cum ad ἔχιδνα debuisset, διαφαγόντας ὑπέρας. i. viperulas suas erodentes membranas.

Ranæ, quas semestri vita in limum re- *lib. 9. cap.*  
solui nullo cernente putat Plin. rursusque si.  
vernis aquis renasci, frigore quidem sol-  
uuntur, non resoluuntur, sed cauernis lit-  
torum latent, non abstinentes modo, sed  
& semianimes, quæ alijs in paludibus ma-  
ritimis, glaciem nunquam contrahenti-  
bus, quoctunque anni tempore conspi-  
ciuntur: immo in ipsis in quibus latuerunt  
lacunis, vere non tantum earum fœtus,  
sed veteres etiam ranæ visuntur.

Muscæ hyemali, frigore torpidæ in ta-  
bularum rimis delitescunt, quas aut arti fi-  
cialis ignis, aut ipsius tempestatis tepor-  
iampridem veluti sepultas reuocat. Inte-  
rea dum torpent, sibi ipsæ sufficiunt, non  
tam corporis exiguitate, vt contendit Ari- *De part.*  
stotel. quam frigiditate. Quod enim ca- *an. lib. 4.*  
lidum est, cibum & appetit & concoquit *cap. 5.*  
cito: contra quod frigidum est, cibo carere  
facilè patitur.

Ex muscarū genere Apes hoc etiam tē- *Ari. l.*  
pore cessant, & in suis alueolis abstinentes *8. c. 14.*  
latent: argumēto est, quod sibi appositos ci-  
bos non attingant, & si qua eruperit, ieui-

na spectetur ventre lucido. A Bruma ad Arcturi exortum diebus sexaginta somno

*lib. II.* aluntur sine ullo cibo, Plin.

*cap. 16.* Omnium maximè Cicadarum genus est

*Ar. lib.* ieiunum. Satis enim ijs alimēto est humor,

*4. cap. 5.* qui in corpore superest.

*an.* Erucis senescentibus externa cutis cal-

*Ar. hist.* lum quendam contrahit, cuius quia color

*lib. 5. cap.* est aureus, Chrysalides & Aureliae nomi-

*19.* nari solent. In hanc formam cum transie-

runt, nihil excipiunt, nihil excernunt.

Inter eas Bombyx, insigne Naturæ mira-

culum, media etiam æstate, suo conclusus

cortice sericeo quadraginta minimum

dies non tantum sine cibo durat: sed & suæ

substantiæ plurimum in lanificium suum

impedit.

*Ar. lib.* Conditi cubant Glires & non nisi som-

*3. cap. 17.* no aluntur. Eorum senium finitur hyberna

*Plin. lib.* quiete.

*8. c. 57.*

*Ar. lib.* Mures montani, sicut & glires, hyeme

*8. c. 17.* delitescunt, integrisque mensibus tam altè

dormiunt, ut effossi & extracti nō excitentur,

antequam in sole expositi vel ad ignem

locati concaluerint: fœnum, paleas, stra-

menta in cauernas comportant, sed ijs à

frigore tantum se tuentur.

Testudo terrestris tota hyemem in ter-

ra latet, atque graui somno pressa sine ullo

cibo traducit. Cibo omni destitutam diu

viuere

vivere quo quis tempore testatur Rondel. *libr.de  
atque etiam abscisso capite, propter frigi- amphib.  
di succi constantiam.*

Chlorion seu galgulus avis tota hyeme *Ar. lib.  
delitescit, circa aestiuum tantum solstitium 9. cap. 22.  
procedit,* *Pl. l. 10.*

Hirundines tam domesticæ, quam agrestes à proximæ hyemis asperitate sibi metuentes, in finitos montium recessus sese recipiunt, vbi nudæ & implumes inueniuntur: qua ferè facie verno adhuc tempore solent conspici. Quæ autem ripariæ dicuntur, in ripas fluminum, lacuum, paludum, & in maris littora ac scopulos sese conserunt, vbi plures mutuo complexu adhaerentes deprehenduntur: vnde accidit, inquit Agricola, ut piscaiores interdum ita *desubter.* inter se iunctas ex aquis extraheant: ut desinant nostri philologi nouas ijs colonias in Africam & alia transmarina loca commissi.

Turtures latere incipiunt præpingues, *Ar. l. 8.* & quanquam pennas in latebra dimittunt, *cap. 16.* tamen pinguedinem servant. *hist.*

Forte & ex alijs plerisque avibus, quæ peregrinæ creduntur, diligentior quiuis rerum naturalium scrutator nō paucas adhuc incolas, quanquam hyeme abditas, deprehendet, ut miluos, sturnos, palumbas, merulas, turdos, vespertiliones, vultures, no-

lib. de  
carn.

etucas, bubones, vpusas, &c. quas suus intus adeps fouet & sustinet, corporis interim effluvio suppresso. Adipem enim per inedias calori nativo alimentum suggere re autor Gal. 4. de usu part. medullam 11. pituitam com. 2. de rat. viet. acut. Vnde queas tibi scrupulum ex Hipp. lectione inieatum eximere, qui homines vix ultra septimum diem sine cibo transigere contendit, quem licet superauerint, nihilominus emori, quia etiamsi verum est, & in nostra puella clarū, quod ait ille, jejunum intestinum per id temporis adeo coartari, ut nihil omnino deinceps possit admittere: tamē ex hac adstrictione & obstructione tam subitam mortem arcessere non est omni ex parte necesse. Quinimo Scythes ferunt, si quibus de caussis inedia longius toleranda sit, ventre latioribus fascijs cohibere, quo fames illos paucō aut nullo reliquo inani spatio minus attingat. Ipsam quinetiam Spirensem puellam, quæ trienalis inediæ famâ percrebuit, humore superuacuo consumpto, ad ciborum usum, quasi postliminio, rediisse tradunt scriptores, à liquidioribus, ut credibile est, initio facto, siquidem vera sunt, quæ ab illis scriptis mandata sunt, ac non potius nimis credulam eorum fidem mater, ut audio, fefelit: quam etiam mihi suspectam facit mu-

CUS,

Cus, quem ipsam abundè per nares emun-  
gere solitam scribunt, suæ in auribus for-  
des, suæ oculis largiores lacrymæ, quæ a-  
liquo cibo, quanquam forte non solido,  
vires eius collabentes sæpe fultas satis e-  
uincunt, à quo excrementa hæc vi naturæ  
secreta in sua organa sint amanda.

**N**ec tamen hæc infirmant paradoxum  
à L. Iouberto in prima decade se-  
cundo loco positum, vbi inter clara diuti-  
næ abstinentiæ exempla, illustrem Spiren-  
sis huius puellæ historiam veluti pro hypo-  
thesi ponit & exponit. Nam præter innu-  
meras alias eiusdem argumenti obserua-  
tiones, quas citat, plurium grauissimorum  
testium fide comprobatas, celebres habe-  
mus tum antiquorum, tum recentiorum  
seculorum experimentis notissimas. He-  
rum Pamphilium autor est diuinus Plato <sup>10. polit.</sup>  
decem integros dies inter exanima cæso-  
rum corpora iacuisse, biduóque postquam  
inde sublatus esset, vt rogo imponere-  
tur, viuere compertum. Neque verò septi-  
mo vtique die homini letalem esse inedi-  
am profitetur Plinius. Nam durasse plæros <sup>lib. II.</sup>  
que & ultra vndecimū certum est, inquit. 54.  
Grauissimum abstinentiæ præceptorem  
Pythagoram testatur ex Dicearcho Diog.  
Laert. ἀπό τούτων quadraginta totos dies duraf-  
se; cuius etiā ex doctrina Apollonius Tyra-

neus assuetudine longa diutinam ferre i-  
lib.7.cap. nediam didicit. Scire se asserit Plin. vietam  
18. voluntate sitim: equitemque Romanum  
Iulium Viatorē è Vocontiorum gente fœ-  
derata, in pupillaribus annis aquæ subter-  
cute morsæ morbo prohibitum humore à  
medicis, naturam fecisse consuetudine, at-  
que in senecta caruissè potu. Idem & in il-  
lustrissimo Marchione Pisano, viro ea  
prudentia conspicuo, qua grauissimis in  
negotijs Rex ipse felicissimè sæpius vñsus  
est, nuper omnis mirata est Gallia. De fre-  
quenti & integra P. Alcantaræ monachii  
Hisp. abstinentia, eaque in octo & am-  
plius dies per singulos menses sponte por-  
recta, mira referunt recens editi quam plu-  
rimi, piarum præceptionū libri. Celeber-  
rima omnium est historia Catharinæ cu-  
iusdam in Colberbergensi solo sine ullo  
cibo & potu integrum septennium tradu-  
xisse cōperta. Ea iussu Illust. Ioan. Casimiri  
comitis Palatini, ab Henrico Smetio( nūc:  
professore Heidelbergensi) & Ioan. Iac.  
Theod. medicis, 24. Nou. 1584. diligenter  
obseruata, adh̄bitis etiam postea quatuor:  
matronis, quæ ab eius latere ne quidem  
noctu discederent, facile ita se habere remi-  
vnicuique persuasit. Post triennium histo-  
ria hæc Gallicè tralata est, Francofurti a-  
pud Ioan. Vvechelum excusa, anno 1587.

&amp; in

& in appendice monitus lector, puellam  
adhuc in hac abstinentia perseverare sine  
cibo, potu, somno, excrementis.

Rationibus nititur insuper Ioub. adeo  
necessariis, ut nemini vñquam rē obfcu-  
ram fore haētenus crediderim, postquam  
præsertim amica doctissimi Valleriolę in-  
terpellatione tantus vir ab hac fide dimo-  
ueri non potuit. Argumentum tamen hoc  
tractanti, dum librariam officinam aliud  
agens perlustro, occurrit libellus in ipso  
limine ptaferens, Fieri non posse vt quis  
sine ciboplures dies & annos transigat. Eū  
illico, quia à docto medico & populari  
nostro I. Harueto conscriptus est, deuoro  
& audiūs perlego. Postquam verò incidi  
in eum locum, vbi negligentiae arguit tot  
illustrium exemplorum autores, quos ie-  
junium tandiu creditum specie aliqua fal- pag. 74.  
lere potuisse ait, satisfaciendum ei hac in  
parte existimauit, & priuato Cōfolentaneæ  
nostræ puellæ nomine spondendum, etiā si  
per tot menses & annos singulos eius mo-  
tus obseruare mihi non licuerit, videri ta-  
men nihilominus verum quod de ea cir-  
cūfertur, & quod hac scheda propono fere  
triennale ieiuniū, nec aliter iis persuasum  
fore, qui nudam eam vt nos, conspexerint,  
nisi mutata ab illa quam Iul. superiore vi-  
di: Nunc enim aliquanto carnosior narra-

tur: neque tamen ullius alimenti accessu, quod potuerit deprehendi. Adde quod & nobilissimorum virorum, qui eam in dominibus suis, aliis per trium, aliis per quatuor hebdomadatum spatium inter uxores & filias suas asseruarunt, fide satis id unicuique constare debet. Si quis propriis oculis fidere malit, non repugno, ne quidem ipsa puella. Utinam idem licetisset Iouberto, qui sit tot rationum momentis oculorum fidem addidisset, nunc fortasse I. Haruetum aduersarium non haberet. At cum hic iam pugnet contra sensus,

Lucr.

*libr. de  
vita &  
mort. &  
respl.*

*lib. 2. de  
gen. ani.  
cap. 3.*

*lib. 3. de  
gen. ani.  
cap. 1.*

*Qui nisi sint veri, ratio quoq; falsa fit omnis;* Iouberti demonstrationes adstruere difficile fortasse non erit. Firmissimis enim fultæ sunt illæ principiis ex ipsis summi naturæ Dictatoris oraculis de præceptæ. Profitetur Aristot. omnium animatium genus calorem quendam naturalem insitum habere, qui cum anima ipsa adeo arcto vinculo connexa est, ut ubi unum insit, alterum etiam inesse necesse sit: Animalia dum vivunt calere, eadem morientia, & cum vita functa sunt, refrigerescere. Inest, inquit alibi, in semine omnium, quod facit ut fœcunda sint, videlicet quod Calor vocatur. Et infra. Gignuntur in terra & in aquis animalia & plantæ, quia in terra inest humor, in humore spiritus: In yniuerso autem calor

calor animalis, ut quodammodo omnia anima plena sint. Itaque calore omnia confici, omnes functiones perfici autor est, quē & noster Gal. aut facultatum esse sub-stantiam, aut saltem ptimum & maximē necessarium ipsarum instrumentum esse <sup>libr. 2. ad Glauc. lib. 4. de vñ par.</sup> passim docet. Non est igitur quod absurdum putet Haruetus à Iuberto post Phisopum dictum, vitam vno calore contineri. Cūm enim vita sit permāsio & mo-<sup>rum animae cum calido ex Arist. nobis in hac libr. de res p.</sup> rerum caligine positis illustrius præsentis vitæ indicium capere non licet, quam ex eius functionibus, quarum omnium calor velut primarium & immediatum animæ instrumentum autor & effectus est. Nec <sup>pag. 13.</sup> ineptè Ioubertus contrariorum contraria consequentia esse ratus vitam calore fini-uit, postquam eiusdem caloris extinctione mortem Arist. designarat. Nam & noster Gal. qui mortem tunc homini contingere <sup>I. de san. tu.</sup> putat, cum calor sæpe agendo refractus, præ idonei pabuli penuria, fatiscit, & qualitatum elementarium nobis innata tem-peries soluta in vnius imperium transiit, tacitè indicat vitæ currículum tandiu re-tineri, quandiu calor nativus humido pri-migenio abundè perfundetur, & qualita-tes elementares in suo æquabili concentu & harmonia, quam temperiem vocant,

*pag. 14.* conuenient. Neque propterea duabus istis causis calore & temperie finienda erat vita, quādoquidem à proxima semper du- cenda finitio est. At calor proximum est a- nimæ instrumentum: Temperies caloris ipsius innati, qui eam ad varias actiones accommodat. Ergo causalis hæc definitio à prima & potissima vite caussa ritè petita est. Essentialē ex Aristot. supra addu- ximus.

*pag. 16.* Aliter tamen Haruetus, qui hominis vi- tam definit actionem animæ rationalis in humano corpore productam. Non satis cautè. Primum enim vita non est actio a- nimæ, alioqui anima viueret, non corpus: sed est mansio, ut dictum, vel vnio animæ cum corpore, ut Arist. alibi, à qua deinde actio proficiscitur. Adde quod, cum vitæ a- ctiones sint, intelligere, sentire, moueri, nutriri, si vita est actio, actionis erit actio, quod est absurdum. Denique si animæ ra- tionalis, qua rationalis, ratione & intelle- ctu solo, non etiam sensu aliquo naturali, partes ad sui nutritionem, ad alterius ge- nerationem, & alias eiusmodi vitæ actio- nes impellentur. Fortasse cum definitione suam aliunde hauriret Haruetus, legit a- ctum, quem conuertit actionem. At actus entelechēia est, non autem ἔργον. Atque ita rectè definiretur vita, ut esset actus animæ

3. me-  
taph.

in

in corpore. i. vis eius per vniōnem vtriusque. Ex quibus perspicuum sit, nostro potius innato calor, vt animae organo, quam rationi ipsi, vitam vniuersim acceptā referendām esse: Ita tamen vt calor is humido primigenio perpetuō inhæreat, quod licet indies ab eo absūmatur, prouida tamen natura aliud ex assumptis alimentis humorē in deperditi locum subrogat, vt prius annotatum. At ex ijsdem alimentis aliud insuper usum accedere putat Haruetus, spiritibus, inquit, reficiendis <sup>pag. 18.</sup> & instaurandis, quem omisit Ioub. quasi humoris primigenij nomine humorē modō syncerum, non etiam spiritus ipsos cēseamus, quibus & calore nativo perfusum istud semper humidum intelligimus. Spiritus vero cibo & potu refici quis negat? Parergas igitur multa hīc assuta. Et verò paradoxas, quod proponit contra Hippocratis aphor. 14. lib. 1. pluri alimento eum egere, cui languidior est calor, quod probat exemplo viri quadragenarij, qui, inquit, plus cibi assūmit, quam ullus ab altero aut tertio die natus puer, cui tamē plurimum inest huius calorē, ex ipso Hippocrate. Infirnum, meo iudicio, si cætera cōponas & organa conferas, argumentum. Nā ne in verbo [pueri] villa cauillatio subsit, παιδα voco, Græcorum more, pueros

omnes usque ad 14. ann. Hos pro ventri-  
culi captu plus alimenti assūmere aio, quā  
nādēs nō tāc constantis ætatis viros, tum  
propter coctrīcis facultatis robur, ( vnde:  
celerrima ciborum cōfēctio) tum propter  
frequentes excercitationes, inter quas plu-  
rimum eorum substantiæ per cutis poros  
effluit, vt taceam ex Hippo. allatam dupli-  
cem ciborum necessitatem alendi augen-  
dique corporis. Coctrīcis autem facultatiss  
robur à temperie quidem pendet, sed pro-  
mota & excitata à calore nativo, qui etiā si  
aliam alimoniam priore confecta per se:  
non insinuat, vt obiicit Haru. quia tamē  
vbi priorem illam exhausit, penuriæ qui-  
dam sensus in ore ventriculi exoritur, qui  
fames dicitur, ad calorem velut agens præ-  
cipuum refert Ioub. assumendorum ali-  
mentorum quātitatem, cuius certa sit nor-  
ma fames seu appetentia. Spectatur feren-  
dæ inediæ facilitas in non appetendo, ait  
pag. 33.

*Com.* Gal. nihilque inde noxæ capiendo. *Quodl.*  
*I. aph. 13.* hīc adfert Haru. conualeſcentes à morbo  
*pag. 33.* bene appetere, neque tamen iis pro ratio-  
ne appetitus cibos offerri, sed dum consu-  
litur virium reparatiōni, consulendum &  
infirmitati caloris naturalis, qui non ob-  
tuendus, sed fouendus: Id fit, quia sua or-  
ganis temperies nondum omnino reddi-  
ta, & facultates naturales adhuc à morbo  
imbe-

Imbecillæ largius assumpta coquere non possunt. Atenim de sanorum fame suam instituit Ioub. demonstrationem, non ægrorum aut neutrorum. Vnde colligit senes, quia non multum appetunt, nec multo cibo indigere, præsertim cum frigidum sit eorum corpus, quod non cōcedit Haru. pag. 43. qui omnem mixtorū actionem ab ea, quæ in elementorum concursu vicit, qualitate proficiisci ait: At in corpore viuente calorem cæteras superare, à quo actio omnis, non à frigore, expectanda. Propositionem in mixtis inanimatis, & quæ simplices elementorum formas pro suis principiis agnoscunt, cū Philosophis admitto lubens. At in animatis, quæ nobiliorem habet formam, qua ignobiliores illæ, velut trigonū in tetragono, continentur, non ita facilè. Agnoscunt enim pro functionum suarum principio naturam illam maximè propriè dictam, animam, inquam, entelecheiam scilicet corporis Physici, organici, potentia viuentis. Quod autem assumit Haru. in corpore viuente calorem cæteras qualitates elementares superare, ne id quidem recipio, nisi calorem eum, qui per corpus diffusus omnia regit & moderatur, quo viuente vitam, quo abeunte mortem irruere diximus, intelligat (vt videtur ex Arist.) qui non frigidum tātum, humidum, & siccum

elementare, sed ipsum quoque calidum elementare, ipse cœlestis, superat & sibi mancipat. Nam si elementaris calidi dominium audiat, ut sequitur ex syllogismo, obijciam salamandram, quæ in mistione sua temperamentum ita frigidum fortita est, ut ignem tactum extinguat, non alio modo, quam glacies: viuit tamē, non à missionis calore, qui cum depresso sit, non potest frigoris superare vires. Ergo à cœlesti illo, quo viuunt etiam serpentes, quas téperamento frigidas neimo nescit. Quod ergo dictum est senum frigus dissuadere ciborum copiam, ita capere debet Haruetus, nullum in humano corpore frigus dominari, immo ne ullum quidem actu esse:

*Com. i. aph. 14.* Sed Hippocr. Λυχνὸν Galeno & omnibus medicis esse ὀλιγὸν θερμὸν comparatè ut distinguunt vulgo. Itaque minorem & imbecillorem eorum calorem paucis egere succendiculis, ut exigua lucernæ flamma exigua olei affusione fouetur, multa extinguitur.

Hactenus de agente, id est calore, cuius ex copia aut paucitate, copioso aut paucum alimento corpora indigere pro Iouberto defendimus. Nunc ad patientis, id est humoris calori illi, subiecti vice, substernendi naturam accingamur.

Ex omnium Medicorum consensu calorem

lorem vitæ primarium autorem constitui-  
mus, atque hunc functiones suas exerere  
non posse diximus absque idoneo fomite,  
qui quidē humor est primigenius, in ipsis  
generationis nostræ primordiis, semine &  
menstruo sanguine abundè cum suo calo-  
re congestus, sed qui ætatis decursu valde  
deteritur & deperditur, perpetuaque ca-  
loris sui deflagratione in nostram perni-  
ciem conficitur, quam vt remoremur, vt  
lucernæ oleum, sic calori pabulum obiici-  
mus, alimentum, inquam, quod prius illud  
humidum instauret, & à tanto incendio  
vindicet. Quod si quis in corpore humor  
superans sit, quem partes cōficerere non po-  
tuerint ( Gal. vocat οὐτὸν ἡλείπομψον, In lib. 5.  
schola excrementum vtile ) qualis in os- aph.39.  
fium, inquit, cauernulis & inanitatibus est  
reliquus, qualis spumosa in pulmone hu-  
miditas, in articulis viscidus & glutinosus  
humor, in testibus & parastatis semen, in  
lingua saliuia, in mammis lac : Is alimenti  
vicem supplet & natuō calori profomen-  
to est & succendiculo, vt latè Ioub. suo pa-  
radoxo, & nos supra. Itaq; quandiu in cor-  
pore superest is humor, cibo & potu cor-  
pus non eget : Nutritur tamen interea &  
viuit. Quod simili contentionē negat Haru.  
& singulas fere huius demonstrationis pe-  
riodos repellit. Nos relictis leuioribus,

quibus aut ipse, sibi facta & facta interdum obiectione, respondet, aut quiuis, vel in medicina tyro, satisfaciat, grauiora rationum momenta excutiemus: quanquam leuiuscum errorem tolerare nō possumus.

*pag. 47.* In propositionis huius initio imponit Iouberto, à quo scriptum erat: non solūm caloris paucitatem cōferre ad faciliorem abstinentiam, verum etiam humoris superflui, & qui natuum calorem oēcupet, abūdantiam. Ita vero accepit Gallico suo sensu Haruetus, quasi diceret Ioub. Solū paucum calorem non tantūm conferre ad faciliorem abstinentiam, verum etiam ad humoris superflui, & qui natuum calorem occupet, abundantiam. Hinc propositionem sequentem elicit. Solum paucum calorem causam esse abundantię humoris superflui: quam tanquam à nostro Antecesore scriptam impugnat. Quam rectè iudicet lector. Magnum verò munus atque onus esse putat ille, suscipere & profiterii demonstrandum, aliquando nobis alimenti vice esse excrementum, eundem cum eo vsum habere, & quod caloris vi deperiit, resarcire posse. Certè exrementorum nomina est & eadem ratio. Alia enim sunt cōtra naturam, & prossus inutilia, nobisque dissimilia: Ideo assimilari nunquam possunt. Ea propriè ~~metaphysicæ~~ dicuntur, ut *facies*,

fæces, lotium, sudor, &c. Alia sunt secundum naturam, alicui corporis parti utilia, quantitate sola excrementa, eaque non totius corporis, sed tantum alicuius partis respectu: Sic chylus, satiato ventriculo, tanquam superuacaneum onus & excrementum in intestina reijcitur. Attractus ab hepate, qui ventriculi fuit excrementum, fit hepatis alimentum. In hoc dum ex chylo fit sanguis, lien & bilis folliculus utramq; bilem, iecoris excrementa, tanquam sibi familiare alimentum attrahunt, cuius convenienti sibi parte recreati, reliquum tanquam iam inutile excrementum, quod deinceps nullam particulam delectare possit, deturbant. Ille quidem per vas breue in ventriculi fundum, aliquando & per hemorrhoidas, atque hinc in intestina. Hic per paron cholidocum, in duodenum & reliqua. Qua demonstratione conficiebat Gal. utramque illam sanguinis partem, crassam quidem & terrenam, quam lien attractum, & tenuissimam leui assatione in fluviam bilem conuersam, quam bilis vesicula, secundum naturam esse, & usum aliquem naturæ conferre, quod illis propria vasa essent dicata, quibus exciperentur: Bilis autem variis speciebus, & quæ ab illis prævione defecissent, omnibusque seri generibus, quod inutilia essent & præter

2. de fac.

nat.

naturam, nulla. Vni pituitæ, quanquam vtili, nullum tamen peculiare conceptaculum concessum, sed eam cum sanguine in venas assumptam, vbi coquatur, & alendo

**Pag. 60.** corpori fiat idonea. Obijcit Haru. pituitam hanc non esse excrementitiam, sed naturalem, & alimentariam, quippe quartum totius sanguinis humorum. Respondeo ex aliorum excrementiorum humorum collatione facile apparere, Galeni locum de excrementitia pituita audiendum. Ita enim hæc omnia excrements comparat. Tanquam, inquit, ex bilis generibus aliud vtile, naturaleque in animalibus est, aliud inutile ac præter naturam: sic pituitæ quod dulce est, id salutare est animanti & naturale: quod acidum salsumque, præter naturam. Præterea cum in omni coctione excrementum aliquod ab alimento seceratur, quod erit pituitæ alimentariæ excrementum, vt melancholico succo suum est, bilioso suum? Non quod in stomacho & intestinis stabulatur. Nondum enim attigit hepar, istius coctionis officinam. Postremo nullum peculiare instrumentum dicitur adepta pituita, quia si aliquando per inedias sanguinis penuria futura sit, in eum conuersa partibus in alimētum cessura est. At naturalis pituita non potestate & per inedias tātūm, sed actu frigidas & hu-

midas

midas partes, vt cerebrum, glandulas, &c. assiduè fouet & nutrit. Excrementitia igitur est, sed utilis, quam eo loco Gal. in corpore manentem alterari posse ait. Nec diffitetur ille ad primum prognost. vbi eam vocat, non vt h̄c, semicoctum alimētum, sed excrementum semicocti alimēti: Quo referta corpora non modo *μωνοστίλω* semel in die tantum edere, sed etiam *ἀστίλω* inediām facilius præter consuetudinem ferre afferit Hippocr. Duo obijcit Haru.  
**I.** hydrope anasarca (Latini intercutem dicunt) affectis omnes corporis partes pituita turgere, eos tamen, nisi cibis subinde reficiantur, moribundos in horas videri. At vero non quælibet pituita corpori a-lendo idonea est, sed dulcis tantum. Illa autem salsa est, vtpote quæ computruit intercepta, vnde Galen. liuida dicitur, quæ propter quosdam alios humores admixtos, non modò verum exactumque colorem, vt vult ibi Gal. sed etiam temperiem mutauit, ita vt eam s̄epius *ὑδατῆς* quam *φλέγματος* nomine apud Hipp. & Gal. audias. *6. aph.*  
 Hinc aquosus languor Sereno, & aquosus albo corpore languor, Horatio. Qua solutione satis etiam fit obiectioni, quam postea mouet de ægrorum excrementis, quæ, inquit, si alunt per morbi decursum, cur, eis consumptis, non cessat morbus? *pag. 66.*

*2. de ac.  
diet.  
pag. 54.*

*Com. 7.  
aph. 29.*

*14. &  
sect. 2.  
aph. 482.  
coac.  
lib. 2. od.*

Qui si cessat, cur ita concidunt omnes corporis partes? At, bone vir, ea excrementa omnino contra naturam sunt, putumque  
2. de nat. se ab iis postulat animalis corpus, ut Gal.  
fac. de sero ait. Magis vrget quod paulò ante  
pag. 54. contendit, non rectè colligi à Ioub. vt si pituita plenus ventriculus non appetit, neque singulæ corporis partes eadem referunt appetant. Is enim de quo hīc agitur ventriculi appetitus animalis est, inquit, qui cum cæteris partibus non sit concessus, similiter se ad eas habere non potest pituita illa, neque similiter eas afficere. Respondeo duplicem inesse ventriculo appetitū, Animalem & naturalē: Ille molestia quædam est & dolor oris ventriculi ex suetione compressionēue natus, quo irritatum animal cibum quærit: Hic autem vis quædam est à natura omnibus corporis partibus insita, deficiens ac sibi conuenientis semper appetens. Ille assumpti cibi vapore, tenuique substantia sedatur: Hic sola adiectione & assimilatione. Animalis soli ventriculo peculiaris est: Naturalis ventriculo communis cum omnibus aliis partibus, à quibus tamen ad illius os superius delatus appetitum animalem excitat, quo veluti stimulo ad cibos sumendos excitemur. Dumi ergo crudus & pituitosus humor in ventriculo moratur, vi eius insita

coqui-

coquitur & elaboratur: Conuenientiorem eius partem sibi tunicæ, quæ ventriculi corpus cōstituunt, apponunt & assimilant. Sic expleto naturali appetitu, ventriculi os non sollicitabit animalis. Si eodem humore vniuersum corpus plenum sit, eum sibi singulæ partes, quibus est communis hic appetitus, & communis ērōtēs vis, similiter apponent & assimulabunt.

Atque hæc quidem sunt argumenta, quibus doctissimus Ioub. suam sententiam suffulserat, haec tenus meo iudicio integra, quibus addita erant exempla plætaque tū plantarum, tum animalium, quæ non multos solum dies, sed etiam annos sine cibo degerent, vt ex plantis cæpe, allium, frumentum & omnia semper viui genera: ex animalibus serpentes, lacerti, glires, vrsi, crocodili, chamæleontes. Quorum exemplorum vim euertere & infirmare conatur Haruetus ostensa ratione dissimilitudinis, pag. 70. quod inter brutorum, multò magis plantarum, atque hominis vitam plurimum intersit, cum hæc principium suum ad animam rationalem, illa suum ad irrationalē referat: cùm calor insuper, earum instrumentum, homini multò nobilior insit quam bruto, & bruto quam plantæ. Respondet exemplorum istorum similitudinem conuenire in eo vitæ genere, de quo

h̄ic quætitur, nutriendi videlicet & alendii corporis facultate, quæ in omnibus tam animalibus, quam plantis æque inest, ait

*cap. 5.* Arist. 2. de generat. anim. Conuenire præterea in causæ specie, crudo scil. & pituitoso humore, quo ea corpora similiter infarta intelligantur. At tantam pituitæ copiam

*pag. 78.* quis ferat, inquit Haru. in præcordijs sine cordis palmo, cardiogino, colicis & nephriticis doloribus: in capite sine apoplexia. Respondeo humorem hunc crudiorum in ijs corporibus concoqui, non corrumpi. Itaque cum secundum naturam sit, affectus contra naturam, morbos inquam, creare non potest. Obiicit solam pituitæ copiam apoplexiā inferre. Sed proprium est cerebri excrementum, quod non nisi impellente spiritu, aut vapore in illius ventriculos irrumperet solet. At languidores sūi in his naturis spiritus, quam ut tantum impetum facere queant. Et si ipsa alioqui corporis exercitatio est saluberrima, inquit

*com. 3.* Gal. tamen si pituita plenum hominem aut bile alterutra, aut etiam sanguine ipsa exercere volueris, ei epilepsiam, aut apoplexiā tali exercitatione contraxeris. Quod & à plantarum & à brutorum animalium vita nostram differre ait, eiusque principium, animam scz humanam cæteras lorm

*aph. 20.* lib. 2. de gener. anim. 6. 3. gē anteire, quis negat? quam etiam Arist. solam

solam diuinam esse & extrinsecus accede-  
 re credidit. Sed quia plantarum vegetan-  
 tem vim, belluarum sentientem includit,  
 dicitur corpus nostrum nutriti ut planta,  
 sentire ut animal, ratiocinari ut homo.  
 Quinimò principio vitam stirpis viuere  
 autor est idem Arist. solamq; tunc animā  
 habere vegetantē. Dein tēpore procedēte  
 subire sentientē: tandem accedere intelligē-  
 tem, quæ omnes secū perfectiones afferat.  
 Non enim simul & animal fieri & hominē,  
 nec animal & equum: quanquam hæc sen-  
 tētia Christiano Philosopho non ita digna.  
 Et set enim primum beta aut lactuca: De-  
 inde canis, aut equus, aut quid huiusmodi:  
 Tandem Cæsar aut Cato. Sed vrget Haru.  
 atque ex Hippocr. probat veteres homini pag. 71.  
 propriam victus rationem quæsituros non  
 fuisse, si idem cibus & potus hominibus & de prisca  
 brutis animantibus satis fuisset: Priscis ta- medic.  
 men temporibus, quod omisit, idem Hip-  
 pocr. subiicit, homines iisdem atque cæte-  
 ra animantia esse vsos alimentis, ante  
*Impia quam cæsis gens est epulata inuencis:*  
 cum nondum frugibus inuentis glande ve-  
 scabantur,

*Contentique cibis nullo cogente creatis,*  
*Arboreos fætus, montanaque fraga legebāt:*  
 quibus summus etiam creator hominem  
 & cuncta animantia yesci statim à mundi Gen. xvi

ortu iussit. Quid igitur sibi voluit Hippoc.  
veteres scilicet consuluisse infirmitati ca-  
loris nostri natiui, qui aliquando crudio-  
res cibos confidere non potest, præparatiis  
& arte emendatis magis fouetur & refici-  
tur: qua ratione humana yaletudo minuis-  
pericitatur: Alioqui & cicutam, vt stur-  
nus, & elleborum, vt coturnices, innoxie-  
si assueuerit, assumet:

*Martia-* Profecit poto Mithridates sape veneno,  
*lis.* Toxicane possent seu a nocere sibi.

*3. de sim-* Sic Atheniensis anus à Gal. celebrata, cii-  
*pl. fac.* cutam: Thrasias rizotomos à Theophras-  
*Theophr.* sto, elleborum: Puella à rege Indorum ad  
*libr. 9.* Alexandrum missa napellum, sine noxa  
*h. plant.* diu omnes sumpserunt. Sed iis intactis, a  
*cap. 18.*

*Arist. de* non multa alia nobis ad vitam necessaria  
*reg. prim.* optima patens Terra è suo sinu promit? E

*Plin.* certè vt nos nascentes excepit, sic natos a-  
lit, semelque editos sustinet semper, beni-  
gna, mitis, indulgens, usque mortaliurn  
semper ancilla: quæ culta, quot omnis gee-  
neris alimenta profert? quot sponte furni-  
dit? quos odores, saporesque? quos succo  
quos tactus? quos colores? Et in animalia  
adhuc sœuire, cum hæc diligenter attendi-  
mus, esse necesse putamus? ea carcere coe-  
cere quibus Natura cœlū assignauit? Quin  
putas & sine animalibus cœnas cū Pytha-  
gora lautioribus popinis anteponimus?

Vett.

Vetus illa ætas, cui fecimus aurea nomen,  
Fætibus arboreis, & quæ humus educat herbis  
Fortunata fuit, nec polluit ora cruento.

Quæsitus ab Imper. Domitiano Tyaneus *Philost.*  
Philosophus, cur communem vitæ ratio- *in vita*  
nem, quæ frequenti carnium esu & vsu *Apollon.*  
constabat, non obseruaret, sed terra tantū  
genitis radicibus, fructibus & cæt. vitam  
toleraret, respondit: Innoxium esse & salu-  
bre quicquid nobis terra germinat: nec a-  
litem Phasiacis petendam campis, aut at-  
tagenem Ionicis, quibus iucundior est vel  
Horatiano rustico teste

---lecta de pinguisimis

Oliuā ramis arborum,

*Aut herba lapathi prata amantis, & graui  
Maluæ salubres corpori.*

Pergit Haru. in citatis exemplis refutan-  
dis, falsa esse omnia quæ de serpentibus, *pag. 57.*  
gliribus, &c. circumferuntur. Nam & ser- *68. 69.*  
penti in speluncis hyeme delitescenti ter-  
ram pro alimento esse, glires & vrsos Au-  
tumno cibos condere, quibus ut formicæ,  
hyeme viuant: Chamæleonem muscas de-  
vorare: Crocodilum aquis diremptum diu  
viuere non posse ex Aristotele.

Serpentem sola terra nutriti, tum phi- *2. de gen.*  
losophi ratio dissuadet, quæ nullū mixtum  
nutriri posse uno & simplici elemento af-  
fert, tūm rerum euentus. Nam *pisces ut*  
*d. iij*

*sæpe minutos Magnu comedit, sic à grandioribus viperis, aspidibus & cæt. minores devoratos, præterea & bufones, sæpe nocturni. mus.* Quam diutissimè verò sine cibo vilib. 8. 6. 4. uere posse ex iis demonstrat Aristot. quoss pharmacotribes alunt, de quibus antea. Quod dictum est serpenti Gen. 3. Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ, non anguium nostrorum genus tāgit, sed antiquū humani generis hostem, cuius mācipia terram comedent, i. terrena tantum sapient;

D. Au-  
gust super  
Gen.

vt exponunt Theol. Glires non tantum in terræ specubus, sed & in cauis arboribus hyeme latere, per 8. hist. ca. idque tempus somno pinguescere scribitur. Philosop. Conditis ibi cibis vesci opinatur Haru. & aduersus Arist. mouetur haec ratione, quod somnus iejuno ventriculo corpus euacuet, præ calore semper humidum depascente: cui aduersatur aph. Hippocr. Quibus noctu bibendi est auditass. iis admodum sitientibus obdormiscere bonum est. Nam somnus omnium iucundissimè humectat corpus, non quidem omnino vacuum & siccum, sed cibo aut crudo succo refertum, naturali facultate per id temporis, in cibi crudorumque humorum concoctionem validius incumbente. Quis igitur dubitet segne anima & crudis humoribus plenum per somnum impin-

45

impinguescere? Somno concoquere corpulentiae, quam firmitati vtilius, inquit Plinius.

Dormitis nimiūm glires, vitulique marini

lib. II. c:

pen.

Martia-  
lis.

Nūl mirum, si vos crassa Minerua premit.

Propter indulgentiorem vitam animalia hyeme in cauernis delitescentia obesiora cæteris reperiuntur, & mulieres viris, ait Gal. quoniā fœmina mare est frigidior, 2. de tēp. & plurimūm domi versatur.

Vrsos sui latibuli tempore nihil edere duabus de caussis probat Arist. & quod neque foras prodeant, & quod capti ventre intestinoque inani videantur. Priorem cōuellit Haru. quod habeant vnde viuant. At tam procero animali quot pomorum plaustris in tot dies & menses esset opus? Posteriorem auctoritatem probat. Narrat enim eorum intestina per inediām ita connivere, ut adducta prope cohærent: ideoque primūm exeuntes herbam quandam Aron nomine, laxandis intestinis alioqui cōcretis, deuorare. Primis diebus bis septenis, quibus latent, tam graui somno premi testantur Plinius & Olaus, vt ne vulneribus quidem excitari queant: Tunc mirum in modum vetero pinguescunt, suctu præfertim dextri pedis, addit Olaus, quod ita audiendum, vt post dies illos quatuordecim somno traductos assurgant in nates &

d. iiiij

priores pedes fugentes vitam ducant, dō-  
nec vere aduentante procedat: mares qui-  
dem præpingues, multò minus fœminæ,  
quòd eō tempore pepererint, non candi-  
dam informemque carnem, quam postea  
lambendo paulatim figurauerint, ut perpe-  
ram credidit antiquitas, sed fœtum plane  
formatum, qualem in vrsa fœta recens dis-  
exert. 6. secta inuentum testatur magnus Scaliger.

15.

exercit.

195.4.

Chamæleontem quendam ante Haru.i-  
dem Scaliger refert, cum à Ioan. Landio in  
vltima Syria agente emptus esset, obser-  
uatum linguæ repentina momentaneo que  
iaculatu muscam, quæ in eius esset pecto-  
re, legisse. Id sane nouum est iis, qui solum  
animalium nec cibo nec potu ali, nec alios,  
quam aëris alimento existimarent, ieiu-  
num semper & indefectū vt loquitur Ter-  
tull. Quod tamen aër illi pro cibo sit ali-  
quandiu, ex eo patet, quòd & annum inte-  
grum inedia tolerasse sæpe visus fit, au-  
tore eodem Scal. & quòd vbi excepit hia-  
tu auram & occlusit malas, turget ei veri-  
ter. Sunt qui dicant obuersum ad Solē hau-  
rire radios, eosque conuersione hiantem  
sequi. Quid simile subolēt aurea hæc Ter-  
tulliani verba. Oscitans vescitur, follicans  
ruminat, de vento cibus.

Crocodilum quatuor menses hyemis:  
inedia semper transmittere in specu tra-  
dit:

dit Arist. & post eum Plin. Sexaginta tan- 8 hist. an.  
tum dies latere , & sine cibo durare autor <sup>cap. 15.</sup>  
Ælian. Theatrali spectaculo Crocodilos 8. hist.  
exhibuit Symmachus vit Consularis, quos <sup>nat. c. 25.</sup>  
inedia per dies iam quinquaginta produ-  
cta inacerabat. Duos etiamnum spirantes <sup>libr. 6. e-</sup>  
in amicorum absentium aduentum multò <sup>pist. 44.</sup>  
post sine cibo asservauit, licet eos, inquit,  
cibi abstinentia longum viuere posse spó-  
dere non videretur. Quod opponit Haru.  
ex Aristotele , Crocodilum ab aqua semo - 8 hist. c.  
tum diu viuere nō posse, interpretationem 2.  
accipit ex eodem loco, ubi scribit, Croco-  
dilum quamuis humore gaudeat , & ita ut  
ne viuere quidem disclusus ab aquæ natura  
valeat: tamen nisi aërem inspiret interire,  
immò parere educareque in sicco solere.  
Quoniam igitur ei vita in aqua terraque  
communis, inter amphibia & ancipitis na-  
turæ animalia , ἐπαυροτειχοτα vocat, re-  
censendum censet: alioqui sibi aduersare-  
tur, qui libr. 2. eiusdem operis eum dies in <sup>cap. 10.</sup>  
terra agere, noctes in aqua scribit, temporis  
vtrumque ratione : quod de eo tempore,  
quo latere non solet , intelligendum est,  
quia frigus ita molestè patitur , vt etiam  
cœlo sereno , ei in terra versandum sit , in  
aqua noctu.

His addo Indicam illam Apodem, vulgo  
Manucodiata dictam, quam etiam, quia

primum ex incompertis locis deciduam  
Mahumetani sacrificuli Paradiso missam  
esse Molucarum Regi olim persuaserunt,  
Paradisi auem incolæ nuncupant. Ei per-  
petua in aere vita est, nec terram vñquam  
nisi mortua contingit, quo tempore diu-  
tissimè incorrupta seruatur. Hæc non culi-  
cibus aut huiusmodi insectis alitur ut pas-  
feres & hirundines (superiorem enim in-  
colit aeris regionem, in qua animalia nulla  
nota nobis quibus ali queat) sed aere so-  
lo, aut vapore ex insulis illis Molucis aro-  
maticum odorem vndecumq; spirantibus  
elato. Aëre solo & puro vesci ideò negat  
Cardanus, quia nimis sit tenuis. Sed qui de-  
dit illi aërem pro cibo, dare etiam potuit  
concretionem aëream ad cibum.

*In vita*  
*Artox.* Nec minus miram celebrat Plutarchus  
auiculam quandam Rhintacen nomine in  
Persia frequentem, cui vacuum nihil supe-  
rat: quinimo tota intus sumine atque adi-  
pe plena est. Eam vento atque rore nutrita  
refert.

*libr. 5. b.* Pyraustam maioris muscæ magnitudi-  
*an cap.* nis animal, pennatum, quadrupes memo-  
*19.* rat etiam veritatis princeps Arist. in æra-  
*Plm. lib.* riis Cypri fornacibus, quandiu ignis adest,  
*ii. c. 36.* viuere: Cùm euasit longiore paulo volatu,  
emori. Sustinetur igitur & souetur frigidis-  
simum animal solo caloris excessu.

Sed

Sed quid immoror diutius in his exemplis, ex quibus ad homines consequétiam trahi non posse vbiique profitetur Haruet. Ipsorum igitur hominum exemplum fortassis eum mouebit. Id omni exceptione maius est, Henrico etiam tertio in Polonia agenti à principibus fide dignissimis testatum. Aderant quamplurimi Galliæ proceres, senatores, &c. Aderant & aulæ medici, inter quos D. Ioan. Piduxius primicerius noster & Decanus, non artis medicæ solùm, sed totius etiam naturalis historiæ scientia clarissimus, Illustriſſ. Principis Ludou. Gonzagæ Niuernensis Ducis valetudines tunc regere solitus, sed & ipsi Regi cōfiliij copiam præbere, à quo id primùm dicimus. Relatum est ab Alex. Guagnino Veronensi peditum in arce Vitebska finitima Moschouiae præfecto, in sua Moschouiae descriptione.

Quosdam igitur populos refert, Lucormiam ulterioris Sarmatiæ regionem incolentes, quotannis 27. mensis Nouembris die, velut Hirundines & ranas, præ intenso brumali frigore mori (sive potius obrigescere) Postea redeunte vere 24. Aprilis die, eos denuò reuiuiscere. Ipsos autem hoc modo cōmercia cum Gruſtintzijs & Sperponomtzijs populis sibi vicinis habere. Cum iam futuram mortem sibi immine-

re sentiunt, tunc merces suas certis in locis deponunt, quas Grustintzi & Sperponomtzi, suis mercibus interim aequalentibus eodem loco relictis, auferunt. Illi autem reuiuiscentes, illas merces, si æqua commutatione sibi placuerint, pro suis accipiunt: sin minus iustæ fuerint, à Grustintziis & Sperponomtziis suas repetant, vnde lites & bella hac de causa inter eos sèpissimè oriri dicuntur. Cæterum per soporem illum non extinguitur innatus horum corporum (alioqui huic aëri assuetorum, geluque, ut loquitur Alb. Crantzius, recollectum) calor, quia is, omnibus poris, meatis, ductibusque frigore connuentibus & obseratis, circa viscera colligitur, atq; hac veluti antiperistasi, seipso, in proximum ver, auctior & vegetior efficitur. Periclitaretur inter omnes corporis partes maximè cerebrum, multis iisque amplis foraminibus, narium præsertim patens, nisi dum rigere incipiunt, tenuis illis & aquae pituita è naribus stillaret, quæ (ex relatu eiusdem D. Piduxij) profluens non minus congelatur, quam sputum ipsum, quod Sigism. ab Herbestein frigore concrescere testatur, antequam terram attingat.

Sic noua subinde descendente, subinde concrecente ad terram usque eodem plane modo ea pituita producitur, quo apud nos

st. mo-  
m.

nos per ipsam hyemem pendula è protectis stillicidia: vnde natibus obturatis cerebrum aeris inclemtíæ minus peruum & penetrabile est. Nam si quis, aduersus hanc aeris iniuriam tum pellium amictu, tum curruum mole instructior, stiriam istam vi diuellere tentet, statim irrumpe[n]te, qua data porta, in cerebrum aere frigidore natuus ejus calor extinguitur, iacentesque æternum pereunt Lucomori. Sin tempestatis serenioris leni aura detur frui, fusa illa pituita sensim calor reddit ossibus, reddit suis membris vigor & sensus, idemque, qui prius inerat, functionum omnium ordo.

Totam istam exercitationem claudit Haru. sanctorum virorum Mosis, Heliæ, & ipsius Soteris nostri ieunio, quod pro miraculo, inquit, non habebitur, si secundum naturam sit tam diutina inedia. Responderat Ioub. naturalem esse valetudinarijs diutinam istam inediā: Supra naturam esse in hisce viris aliqui perfectè sanis, & vt nostri loquuntur, ad pondus temperatis. Obijcit Har. citatum à Ioub. Auccennæ locum, Hoc item sanis hominibus posse contingere. Nos Iouberti sententiam ita audimus, vt nostros omnes abstinentes sustinendæ inediæ facilitatem ab aliquo contra naturam affectu contraxisse cre-

MVSEVM  
BRITAN  
NICVM

BRITISH MUSEUM  
SALE DUPLICATE

1787

